

*Magia naturalis* habitus est è libro naturæ acquisitus. *Verba*, quæ talia, ad quantitatem spectant, hujus verò nulla actio, nulla efficacia: *Characteres* activi non sunt, quia meræ figuræ, quarum vis agendi nulla. *Ceremoniarum* etiam nulla potestas, sed ipsa mera ludibria sunt. Nec *Imagines* aut *sigilla* hic aliquid præstant, fingere agendi vires, ubi nullæ sunt nec esse possunt, mentis est dementis. Rectissimè *B.D. Sennertus l.c. Pr. par. 2. c. 24.* Is Deum honorat, qui Dei opera, qualia ab ipso condita sunt, contemplatur, admiratur & celebrat. In Deum verò injurius est & impius, qui rebus vires, quas nec à Deo nec ab arte acceperunt, tribuit. Tales etiam sunt, qui vel herbis vel verbis modisq; aliis corpora sua reddere conantur inconspicua aut etiam contra ictuum injuriam immunia. Corpus enim coloratum per medium rectè dispositum non potest non videri at astantibus rectè sese habentibus. Sic corpus nostrum molle in durum mutari nequit. Quod si verò vel illorum vel istorum vel horum dentur exempla, *Magiæ Dæmoniacæ*, non naturali adscribenda sunt.

### Secundum.

*Animæ sagarum vi Satanæ extra corpora abripi & ad nocturna comitia transferri nequeunt.*

Non negamus, Diabolum spiritum potentissimum ac robustissimum, posse corpora hominum in sublime ferre, & conjuratos suos non semel secum in altissimas auras cum gemitu & ejulatu abripere, adeoq; & animas ipsas una cum corpore auferre. Verum, Diabolum animas solas per ecstasin exportare in loca distantia, corpore interim domi quasi mortuo jacente, id est quod negamus & pernegamus. Inferret enim redunitio hujus animæ cum corpore suo veram mortuorum resuscitationem, quæ omni creaturæ impossibilis. Et compertum non semel fuit, sagas de conventibus & tripudiis Dæmoniacis aliquando splendidissimè nugatas esse, cum tamen domi in suis jacere cubiculis somno profundo obrutæ. *B. Luth. Tom. 1. Jen. f. 126.* postquam transvectiones istas per aërem mera esse somnia Diabolica dixerat, meminithistoriæ ex Johann. Keisersbergio, quod vetula  
ali